DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LVCÆ ORTHODOX. MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS, XIX. MARTII,

M. IACOBO CORNVTY, Doctore Medico, Præside.

977

An Ablactatis Purgatio frequens?

CONCEPTVS prægnantis in vtero Fœtus humanus eandem cum matre cohærentiæ rationem habet, quam fructus cum arboribus. Pro tenui pediculo quo fructus in arbore suspenditur, ductum vmbilicalem à Natura sortitus est, per quem vitæ materiam sugeret: apparandam primùm in Chorij Placentâ, quò purior, defæcatiorque illabatur. Et in fructibus, μίσχῳ extremo addita est moles quædam torosior, quæ rugosâ carne, villis, fibrisque compactâ ὑγρὸν proprium eorumdem apparat alimentum. Sed neque fructus suis carent integumentis, vt Fœtus. Nuci Ponticæ, Iuglandi, & Castaneæ vnicum est: leguminosa geminum obtinent, vt Fœtus humanus. Cæteris animantibus tria Natura concessit, quibus velut additis vinculis aut propugnaculis, infirmitas eorum & loco suo contineretur, & ab externi aëris molestiore vindicaretur incursu. Si quando flatus arborem vehementior succusserit, cùm recens editi fructus, aut cùm iam graues nondum maturitatem adepti sunt, facilè eliduntur: intermedio tempore non ante separari queunt, quàm aut arbori vitium, aut semini fructus erosio à vermiculis accesserit. Prægnantibus quoque Humani generis arboribus, ἀποβλητικὰ τῶν καρπῶν esse solent, aëris & flatuum subitæ mutationes: quales sunt Ἀντίπνοιαι, aut quos Παλιμβορέας vocant. Has ideò primis, ob ἀσθένειαν προσαρτήσεως, vtì nec postremis grauiditatis mensibus, ob ὄγκου μέγεθος, Purgationis, aut Phlebotomiæ motibus exagitari conuenit; aut aliâ corporis, & animi perturbatione quati. Hæc siquidem (quæ mediis gestationis temporibus nec mouent, nec vim faciunt) nondum confirmato fœtui abortus causam inuehere solent.

INFANS, nouus Humanæ Naturæ surculus, stirpium more educandus est. Huius cura Arti, non Naturæ committitur. Hæc siluestres edit, illa facit vrbanos. Natura namque nudum, & inermem Fœtum, quasi pondus inutile, aut excrementum quoddam in terram expuit. Ars Obstetricis munus obit. Eiectum suscipit. Secto fouet vmbilico. Linteis & stragulis pluribus, nunc paucioribus pro regione, & anni tempore obuoluit. Molliter ad pectus, paulò strictiùs ad crura fasciis deligat. Cunas locat. Cauet ne lux à tergo, aut à latere excipiatur; quæ res facilè obtutum inuertit. Nihil negligit. Mulieres, quas gestationi in vlnis præficit, vult esse amphidexias, vt in vtrumque latus subinde gestatione, artuum symmetria conseruetur. Horum omnium, ne decubitus quidem ipsius, curam committit Idiotis. Nihil enim est tam facile, quod non requirat industriam. Est scilicet Medicinæ sagacitas supra omnem Naturæ vim, quam in obsequium suum cogit vniuersam. Sic quantùm vrbana arbos suauitate fructus, foliorum præstantiâ, & caudicis rectitudine, siluestri præfertur: tantùm Humanus Fœtus Artis Medicæ culturâ fotus, supra naturalem, & spontaneam indolis educationem æstimatur.

VRBANITAS, quæ Arboribus culturâ, & mangonio conciliatur, Infanti educatione contingit. Sine educatione siluestrem ille induit Naturam, totusque strigosior, mille morbis, prauisque moribus, velut ortis vndecumque spinis, exhorrescit. Educatio Puerorum quidam est ἐνοφθαλμισμός. Quidquid agreste, & acerbum est, hac Arte extruditur. Corpori valetudo, Animo suauitas accedit, & humanitas. Luxuriantes & vitiosi succi, velut inutiles rami exscinduntur. Meliores industriâ Medici, mitioresque inseruntur. Quod Tellus plantis, idipsum Nutrix est Infantibus. Opima non optima tellus, neque lac opimum optimum; serosum melius, & si temperiem comitem habet, omne punctum tulit. Id namque & bellè nutrit, & magis est εὔοδον. Nutrix macra nec sit, nec obesa. Nimiùm ne crede colori. Alba sæpius Nigram copiâ lactis superat. Mamma eius non sit carnosa, aut nimis glandulosa, sed cutacea, numerosâ venarum sobole referta; quæque ad primos lactentis suctus in grumos lacteos attollatur: alterâ interim se se immulgente, & lac effundente sine suctu Papillâ, quæ nec longitudine, aut breuitate molesta sit. Præstat sæpiùs conductitiâ Nutrice, quàm Materno lacte nutriri. Hoc Naturæ, illud Artis electioni debetur. Nutrix omnis morum probitate, ingenij acumine, & Veneris abstinentiâ commendetur. Hæc quippe corpus, vnà & animum alit: moresque molli, & gratâ semper admonitione format ad libitum. Infans quem Natura agrestem pepererat, solâ lactis & Nutricis præstantiâ plerumque ἐξημεροῦται. Propterea si ab his conditionibus desciuerit, alia statim substituatur. Si rerum penuria huius rei copiam non fecerit: ne morum, humorumque labes cum lactis vitio in Pupum transferatur, melius est in auxilium adhibere Bombylia.

ABLACTATVS Infans, velut exempta viuiradix maiorem Artis opem exposcit, ne corporis labe, aut animi vitio suffruticet. Propterea Colonus in primâ explantatione circa arbusculam totus occupatur: pastinando, irrigando, stercorandoque solo. Sarrit adnatas circumquaque herbulas, quæ illius obsunt incremento, atque nutrimento, dum meliorem terræ succum depascuntur. Sustinet caudiculum depacto iuxtà palo. Brachia in vncos reducta, molli inclinatione ad parietes non flectit ne rumpantur, sed circumducit, vt apricationi insuescant. Hæc omnia peragit dum ætatis teneritudine sequacior est: ligni quippe rigiditas annosa minùs se facilem ad motum præbet. Illud ipsum Infantibus Philosophiæ & Medicinæ munere contingit. Honesta Matrona primùm debilem infantis animum blandiore sustinet confabulatione, sensimque rationis, & orationis quibusdam informat elementis; donec ampliùs illius aures & animus patuerint: ac tum Pædagogo velut vnco adhibito, paulò strictiùs continetur. Huius opera fit initio vt fabulæ, & anilia deliramenta procul absint, quæ quasi iuxta mentem consitæ plantæ inutiles, vberem fructibus rationis segetem necant. Medicus pariter curat, vt Bilis Vrticæ, Pituitæ Muscus, Bilis atræ Melanthium, Plenitudinis Orobanche, & similia malorum humorum gramina, quæ nimiâ, & minùs exactâ esitatione in dies iuxta viscera succrescunt, puerilesq; morbos omnes generant, eradicentur. Id ipsi facilè est, Irrigatione & Sarturâ. Irrigatio victus est humidus Puerorum naturæ singularis. Pulticula tamen non deneganda Ablactatis, vtì nec alimenta solidiora post eruptos dentes lactentibus; quibus, dum aluus adstrictior est, offulæ, iuscula, & panatella, magis prosunt. Carnes seriùs venient in vsum. Frigidæ Irrigatio iuniores plantas aut necat, aut pumilas reddit; tepidior vegetat, & reddit εὐαξεῖς. Frigidæ potione interdicantur Ablactati: Hæc sæpè Cœliacum fluorem excitauit intestinis & ventriculo læuigatis. Vt ergo Pituitæ pernicies amoliatur, tepidè bibant; ἐπὶ καὶ τοῖς θερμοῖς ἀρδευόμενα βελτίω. Nunquid Vinum Pueris exhibitum tempestiua res est, & quâuis irrigatione potior? Non illud sit ψυχρότατον, quod in omni ætate φυσῶδες: sed quo generosius, ὑδαρέστατον tamen νηπίοις propinatur. Eò feliciùs adolescunt illi, coloratiores redduntur, & Conuulsionibus minùs patent.

CAPITIS infirmitas, Iecoris nimis auida rapacitas, mollis corporis textura rarior, Ablactato Infanti ad pueritiam vsque propria est, & quasi naturalis. Hinc misellus, illinc que ὑπὸ τῶν ἐνόντων, καὶ τῶν ἔξωθεν, quasi indagine factâ, circumseptus: pluribus patet morbis, quàm vlla alia ad senium ætas. Omnes ferè perniciem minantur, ipsumque sine dubio in vitæ exordiis opprimerent, nisi Ars Medica suppetias ferret. Hæc velut in plantarum genere fit, assiduâ quasi fossione viscera reddit εὐαπνόστεγα. Sarturâ multiplici praua malorum humorum germina diligentiùs exstirpat. Purgatio Sarritio quædam est. Capiti adhibeatur inusto cauterio Macrocephalis, & Ῥοωδεστάτοις. Totius corporis ὁλομελίῃ, exhibitâ aëris clementiâ. Viscerum portis, Catharsi. Hæc penè quotidiana sit, vt in illis per ἀδδηφαγίαν multiplex in dies atque in horas cumulatur illuuies. Non sic de venæ sectione statuendum, quæ in secundâ Puerorum valetudine periculosior est. Purgatio contrà, quò frequentior, eò tutior: primordia generationis morborum in ipso fonte elidit: ventris libertatem conciliat: venarum per quas alimenti distributio fit, oscula patefacit: Chylum & sanguinem purificat: & ab omni puerilium morborum caterva strenuè vindicat Ablactatum. Adde quod Ventriculus nullâ ex parte purgatione læditur. Solâ humoris corruptelâ frangitur validus: Purgationis assuetudine corroboratur infirmior. Longè dispar est quippe viuentium tunicarum, & emortuarum ratio. Corium bubulum quantumuis durum & solidum, in calceamentis vix mensem durat: incessu statim deteritur. Si nudus ambules, naturalis solea non tenuatur, sed occalescit. Et manus vola nullum affrictu patitur intertrimentum. Ventriculus pari modo viuens tunica Cathartici vim frangit, non illa frangitur. Vides vt consimilis vsu frequentiore medicamenti Natura abutatur; propterea variis medicamentorum formulis opus est, aut consueti geminanda dosis: secùs eiusdem sæpiùs repetitæ Purgationis vis omnis consuetudine euanida redditur. Nec mirum, Ventriculus ἐγκρατέως, τὸ δὲ κρατεῖν ἀπαθές. Audacter igitur Ablactatos purga. Hæc agendi ratio ῥίζας τῶν φλεβῶν ἀκμαιοτέρας ποιέει. Nihil opportunius in Infantis commoda præstat Ars Medica, quàm si illi temperatum aërem & purum assiduâ Purgatione subministret alimentum. Vt enim omnium stirpium generi ἀφθονία τῆς τροφῆς ὕδως, καὶ τῆς ἀέρος εὐμενὴς εὐκαρπία, καὶ εὐβλαστία contingit; sic & Ablactatis, in viridario Medico singulari hac Arte feliciter excultis, εὐχροια, εὐτροφία, & εὐσθένεια facillimè procurantur.

Ergo Ablactatis Purgatio frequens.

F.M.P. BIBLIOTHEQUE

Proponebat Lutetiæ BERTINVS DIEVXIVOYE Cenomanus, A. R. S. H. M. DC. XLVIII.